

etiam si syllogismus demonstrativus ratione materiae necessariae in qua fundatur, sit nobilior; non tamen ratione formae est omnis talis syllogismus aequè perfectus; sed solum ille, qui in Barbara formatur, siue materia sit necessaria; siue probabilis; siue apprensus.

ARTIC. II.

An logica sit una scientia genere ab obiecto

PROPTER impugnationem quintae opinionis in textu, etiam, movetur articulus praesens: pro cuius explicatione notandum: quod duplex potest esse unitas scientiae; alia intrinseca, & formalis, consequens ipsam, ut quoddam ens est; alia extrinseca, materialis & obiectiva ex obiecto desumpta; quae adhuc potest esse duplex: specifica, & generica: sicut duplex est obiectum specificum, & genericum: quia unitas numerica non est ad rem; cum de singularibus non dicitur scientia alia ab unitate, nisi in praesenti igitur articulo inquiremus de unitate extrinseca, logicae; in sequenti, vero, de alia unitate inquiremus. Prima igitur sententia est communis apud Thomistas, asserens logicam esse unam scientiam specie atomam, & in ma, quam probat duplici principali argumento.

No. 4.

1. Sententia.

1. Argum.

Primum obiectum logicae est unum specie infima in genere scibilis; ergo & logica erit una scientia specie infima. Antecedens probatur: nam obiectum logicae est secunda intentio, ut sit sub omnimoda immaterialitate nulla includente in notionem, quae immaterialitas est propria secundae intentionis; sed secundae intentionis ita immaterialis non est divisibilis in plures rationes scibiles specie differentes: quia immaterialitas rationis, cum sit materiae ex parte; nullatenus parvi potest, ut per maiorem, vel minorem inclusionem materiae secundae intentionis differant specie; ergo si secunda intentio est una tantum specie infima; etiam & logica erit una specie infima.

Nota.

2. Sententia Doctoris.

Secundo sicut color in genere visibilis est quoddam unum specie infima: licet in genere rei specie distinguatur: sic de logicae obiecto dicendum est: ergo sicut potentia est una specie infima, per ordinem ad tale unum visibile; ita logica erit una specie infima per ordinem ad unum obiectum, quod in genere scibilis est unum specie infima. Itaque omnia argumenta quae communiuntur pro hac sententia sunt, fundantur in ratione, sub qua obiecti, quae ab aliquibus ponitur in immaterialitate, & abstractione ab aliis autem in ratione proportionis, & motionis obiecti ad potentiam. In maiori parte huiusmodi argumenta, secunda, & opposita sententia videtur esse Doctoris 6. Metaph. quaest. 1. ubi in communi de omni scientia hanc difficultatem movet: & licet circa illam nihil ex propria mente discernat: ut apparet in fine quaestiois illius; nihilominus nos

ex eius doctrina ibi, & alibi tradita, quod in hoc articulo tenendum sit, aperimus. In quo notandum primo quod quadruplex est continentia: quaedam essentialis, quae aliquid continet sibi intrinsece; ut compositum continet materiam, & formam; quaedam est continentia identica, & unitiva, quae continens continet, aliqua sibi re, licet identitate, licet formaliter distinguatur: quomodo anima continet suas potestas; & sibi obiectum suum per se; alia est continentia potentialis, quae superius continet inferiora, ac eorum proprietates; ut anima, homo, & Ieronimus: alia denique est continentia virtualis, & est duplex: alia in esse reali, alia in esse cognito: continentia virtualis in esse reali adhuc est duplex: quaedam, quae continens potest ponere contentum extra se in esse reali, ut Deus continet omnem creaturam; alia, quae continens potest ponere contentum in esse reali, non quoad esse, sed quoad esse contentum, ut Anima intellectiva continet vegetativa, & sensitivam, non quoad potestates quoad esse in re; sed solum quoad illarum effectus reales. Continentia virtualis in esse cognito etiam est duplex: proprie, & large dicta: secundo modo est, quando continens potest ducere in cognitionem contenti, ut acciciens continet substantiam, ex primo de Anima textu 1. continentia virtualis propria in esse cognito est, quae obiectum natum est causae notitiam suarum passionum: quia cuius enim potentia etiam continet tale notitiam, quia eam continet, eam indeterminate, & illimitate; & obiectum continet eam determinate, & limitate; ideo talis continentia communiter subiecto ascribitur.

1. Nota.

2. Nota.

Secundo, notandum, quod de obiectis scientiarum rationalium nobis philosophandum est, sicut de obiectis scientiarum realium respectu continentiae in esse cognito, quae continent passiones: eo enim modo, quo aliquid est ens, & habet etiam passiones in se virtualiter continet. Obiectum igitur scientiae realis est duplex: specificum, & genericum in specificum, secundum Doctorem 3. prologi littera B. est quod continet in se primo, virtualiter, omnes veritates illius scientiae; cuius est obiectum: verbi gratia, homo per se primo, esse nihil licet; continet anima] ratione, quae est eius definitio; & ratio continendi passiones, & medium ipsius demonstrandi; & ideo immediate continet hanc veritatem: anima] rationale est risibile; & mediate hanc: homo est risibilis; quae est conclusio quaedam in praemissis immediate contenta. Itaque homo, qui in mediis sui definitione, ducit nos in cognitionem scientiae in suarum passionum, & notitiam, quae de illo sciuntur; dicitur obiectum specificum, & virtualiter, veritatum scientiae continentium, quod praecognoscitur, quod quidem, & quia est, & quia est. Obiectum genericum est illud quod in scientia, cuius est obiectum, praecognoscitur, quod quidem est: habetque partes, principia, & passiones: potentia, licetque sui inferiora, ac eorum passiones continet. Vnde discrimen apparet manifestum inter utrumque obiectum, quoad continentiam veritatum, quae continentur: dicitur: nam homo: verbi gratia, continet seipsum, & risibile virtualiter

qualiter per se primo; quia per se primo de ipso demonstratur: easdem vero passiones; pro ut de Petro sciuntur; continet virtualiter per se non primo; & hoc idem asserit Doctor in hac quaest. solutione ad primum de syllogismo in communi, & in particulari, respectu continentiae passionum, vide illum: at vero obiectum genericum, licet eo dem modo contineat passiones suas, pro ut de illo, & de suis inferioribus demonstratur: animal enim continet per se primo sensibile; & prout sensibile dicitur de homine, continet per se non primo; ceterum passiones proprias hominis tantum continet potentialiter, & permixtue, sed non virtualiter. Et ratio est: quia homo continet essentialiter animal rationale, tanquam causam immediatam propriae passionis: & cum animal rationale sit causa pullulativa haecceitatis, quae Petrus in esse singulari constituitur; hinc homo, & Petrus, easdem passiones habent: & ideo homo, tam respectu sui, quam Petri, eas virtualiter continere dicitur: at vero animal, cum respectu differentiarum, per quas sua inferiora constituuntur, non se habeat, ut causa immediata, & pullulativa; sed sit extra illarum rationem, habens se tantum, ut contrahibile, & potentiale quoddam; ideo passiones inferiorum proprias potentialiter tantum continet.

3. Nota.

4. Nota.

Tertio notandum: quod obiectum genericum dupliciter considerari potest: vel logice, prout a Porphyrio consideratur, & cui supponitur species: vel in esse scibilis, & sic capitur in praesenti; & hoc secundo modo, ut ex Doctore 6. Metaph. quaest. 1. §. vterius est sciendum, colligitur; adhuc est duplex, propinquum, & remotum. Propinquum est, quod continet virtualiter omnes veritates scientiae, ut de obiecto specifico diximus: obiectum enim genericum propinquum, & specificum, conveniunt in modo continendi: genus scibile remotum seu potentiale est illud, de quo non considerantur solum veritates, quae in ipso virtualiter continentur, sed etiam illae, quae continentur potentialiter, ut animal, si inclinet eius cognitio, ad considerandum ea, quae continet homo, quem potentia liter continet.

Quarto notandum ex Doctore ut supra, & ex Tatarcto in praesenti quaest. 1. dub. 3. quod sicut triplex est scientia: ita tripliciter dicitur una. Prima scientia appellatur formalis: & est notitia inclinans tantum ad speculationem quidditatis obiecti. Secunda dicitur virtualis; & est ipsa cognitio, quae inclinat formaliter ad speculandum quidditatem obiecti, prout virtualiter inclinat ad demonstrandas passiones de ipso obiecto per se primo; & de inferioribus obiecti per se non primo. Tertia tandem est scientia potentialis; & est notitia inclinans formaliter ad cognoscendam obiecti quidditatem, non prout sic: sed quatenus inclinat ad cognoscendas passiones, quae inferioribus suis sunt propriae. Exemplum: cogitatio animalis, quae ad eius quidditatem cognoscendam inclinat praecise; dicitur scientia formalis, ipsa vero cognitio, prout inclinat ad demon-

strandum passiones, nempe sensibile &c. per se primo de ipso animali; & per se non primo de homine, & leone, dicitur scientia virtualis. Tandem eadem cognitio, prout potentialiter inclinat ad demonstrandas passiones, quae sunt propriae suorum inferiorum, verbi gratia risibile de homine, & rugibile de leone, quae potentialiter tantum continet, dicitur scientia potentialis. Vnde fit: quod prima scientia est una specie atomam. Secunda est una genere propinquo. Tertia, denique est una unitate generica, seu genere remoto. De quo latius in primo Phys. quaest. 1. Art. 3.

5. Nota.

Quinto notandum: quod obiectum scibile incomplexum, & de quo veritates in scientia demonstrantur, constituitur in esse talis, per suam propriam definitionem; si fuerit diffusibile: nam obiectum constitui in esse scibilis, nihil aliud est, quam habere medium, per quod veritates de ipso scibiles sciuntur: quod quidem medium est ipsa definitio. Dixi notanter, si obiectum fuerit diffusibile: nam si diffusum non potest, ut patet de ente, & de Deo; ens in concreto sumptum erit obiectum quod, & materiale, in abstracto autem consideratum, hoc est entitas, seu ratio entis erit obiectum, quo, & ratio formalis sui ipsius, per quam eius passiones de eo demonstrantur; & sub qua ab intellectu cognoscatur: obiectum enim dicitur scibile, & per ordinem ad passiones de ipso demonstrabiles, & per ordinem ad intellectum, ut cum eo simul concurrat ad sui scientificam cognitionem, ac per ordinem ad ipsam scientiam: sed in omni ratione scibilitatis constituitur formaliter per definitionem, & rationem suam formalem, nihilque aliud ex eius parte requiritur, bene verum est tamen, quod intellectus, qui est altera causa partialis cognitionis scientificae, ut eam producat, indiget naturaliter, in aliquibus subiectis, abstractione a materia, tanquam conditione necessaria: quia est obiectum scientiae naturaliter acquisite sit sensibilibus immixtum, per abstractionem a tali materia denudatur, & redditur intellectui proportionatum; ut sui scientiam gignat.

Corol. 1.

Corol. 2.

Ex quibus infero primo, rationem, sub qua in scientiis nostris tenere se tantum ex parte intellectus: nihil enim est aliud, nisi abstractio illa, sub qua intellectus tendit in obiectum scibile ipsum a sensibilibus denudans, sine qua denudatione non concurreret naturaliter, & pro hoc statu. Vide Magistrum Lorcam 2. 2. q. 1. art. 1. disp. 1. num. 7.

Infero secundo, divisionem illam rationis formalis obiecti in rationem formalem quae, & sub qua, quam contra nos desumunt Thomistae ex Caiet. 1. part. quaest. 1. Artic. 3. per quarum primam (inquiunt) constituitur obiectum in esse rei, & per secundam in esse scibilis, & continentis virtualiter suas veritates necessarias, nullam esse, & sine fundamento: quod multipliciter ostendo.

Primo, quia si obiectum ex se, quantum est ex parte sui non sufficit causare scientiam

de se ipso; sed requiritur aliquid aliud in ratione obiecti; sequitur: quod illa notitia non erit totaliter, nec adæquate de illo obiecto solo, sed de illo alio adiuncto: consequens est falsum: quia scientia de homine est adæquate de ipso solo, & non de aliquo alio: igitur præter obiecti diffinitionem, nihil aliud ex parte sui requiritur: aliter enim esset scientia de diobus.

Secundo, vel hæc ratio, sub qua, obiectum est scibile, est aliquid distinctum ab ipso; vel idem realiter cum illo: si hoc secundum: ergo talis ratio sub qua, erit quoque ratio, qua subiectum est res: quod Caietanus negat: ac per consequens superfluit talis ratio formalis: si primum: ergo ex illa, & subiecto fiet vnum per accidens, de quo non est scientia.

Tertio, hæc ratio formalis, sub qua, non pertinet intrinsece ad rem, de qua habetur scientia; sed est modus, quo consideramus subiectum contrahens ipsum; ut non absolute; sed ut sub ipso consideretur: sed talis modus limitans considerationem subiecti non tribuit illi virtutem continentiam suarum passionum: ergo non potest esse ratio formalis tenens se ex parte subiecti, ut de ipso eius passiones demonstrantur. Maior ex eodem Caietano probatur: Physicus v. g. (inquit) cum considerat ens mobile, non est absolute, sed pro ut est in rebus sensibilibus: sed hæc re duplicatio: pro ut est in rebus sensibilibus; est ratio sub qua ens mobile est scibile in scientia naturali: & ut vidimus, non est ens mobile intrinsece, de quo habetur scientia, sed modus contrahens ipsam, ut à nobis consideretur: ergo ratio sub qua, est quidam modus extrinsecus subiecto, & non ratio formalis continentis suas passiones.

Ultimo, vel talis ratio sub qua, est aliquid rationis in obiecto, aut aliquid reale: si primum: ergo omnis scientia est vna vnitatem rationis, & per intellectum: quod est absurdum: si secundum: vel illud se tenet ex parte obiecti, ut causæ sui scientiam: aut ut illam terminet: si primum dixertis (o Thomista) quæro, an sit de intrinseca quidditate obiecti, ut producat speciem intelligibilem, mediante qua, sui cognitionem causet; an extrinsecum quidditati: si hoc secundum concesseris: redeunt duo argumenta priora: si primum: ergo cum ratio producendi speciem intelligibilem sit quidditas, & essentia rei, quæ per diffinitionem explicatur; sequitur; quod hæc ratio sub qua, erit ipsa diffinitio obiecti. Si autem dicas, quod se tenet ex parte obiecti, propter terminationem; cum cognitio abstractiva terminetur ad obiectum, pro ut in specie relucet, & species causetur à quidditate obiecti, semper habetur; quod ratio sub qua, erit diffinitio.

Resolutio
Corollarij.

Quare hæc ratio sub qua, pro ut à Thomistis assignatur, mihi sine fundamento, imo & necessitate, videtur: sed dicendum est, obiectum considerari, vel pro materiali, & est diffinitum; vel pro formali; & est diffinitio; quæ, ut ex parte obiecti se tenet; & est ratio quæ, & sub qua, constituens illud tam in esse rei, quam in esse

scibilis; tam in ordine ad passiones demonstrabiles; quam in ordine ad intellectum: licet propter modum apprehendendi ex parte intellectus detur in aliquibus scientijs, quædam conditio, quæ dicitur abstractio: sed hæc in obiecto solum ponit esse abstractum, vel abstractibile, quod est ens rationis: nec Aristotel. 6. Metaphys. aliud voluit: ut vult Lorca ut supra.

Ultimo, notandum: quod aliter continet syllogismus veritates, quæ de se ipso, & de suis inferioribus, sciuntur; ut est subiectum attributionis in logica (& idem dico de modo sciendi) & aliter pro ut est quid superius ad syllogismum Demonstratiuum, Topicum, & Sophisticum: nam sicut ea, quæ ad ipsum attribuantur, dicuntur improprie sua inferiora, ex eo, quia aliquomodo continet illa; ut de quolibet subiecto attributionis docet Doctor, ut supra; ita ipse dicitur continere virtualiter omnia per attributionem; diciturque vnum vnitatem ordinis, seu attributionis; quia scilicet omnia ad illum ordinantur: at vero syllogismus; ut est superius ad sua inferiora, continet eorum veritates proprie, siue propinque, & virtualiter; ut sunt passiones de ipso per se primo, & de illis per se non primo demonstrabiles; siue potentialiter, permissiue, & remote, quales sunt propriae cuiuslibet passionis.

Dicendum primo, si syllogismus, vel modus sciendi, dicantur continere virtualiter proprie veritates de ipsis, & de suis inferioribus, per suas diffinitiones demonstrabiles logica dicitur vna vnitatem specifica, seu genere propinquo. Hæc est Doctoris, ut supra: & probatur: logica, sicut & quælibet alia scientia, sumit vnitatem extrinsecam ab obiecto: sed syllogismus, qui est eius obiectum, vel modus sciendi; quatenus de illo nunc loquimur; est vnum vnitatem specifica; ut intuenti patet: quia eius inferiora, in hoc casu, sunt indiuidua illius, de quibus, per eius diffinitionem, illius proprie passiones demonstrantur, ergo.

Dicendum secundo, si syllogismus dicatur continere potentialiter sua inferiora, eorumque passiones: siue virtualiter improprie, & per attributionem omnia, quæ in logica considerantur, ipsa logica dicitur vna vnitatem generis remoti. Hæc est etiam Doctor, ubi supra: & quæst. 3. prologi. littera D. & R. & in 1. dist. 3. quæst. 7. & 8. in fine, & in 3. dist. 25. & suorum ibidem, maxime Tatareti quæst. 3. prologi, & in logica quæst. 1. & Antonij Andree 6. Metaph. quæst. 3. & aliorum: & probatur eodem medio, quo præcedens: nam syllogismus, ut sic, est obiectum quoddam genericum in genere scibilis: ergo & logica vna genere dicitur.

Ad argumenta: ad primum concedo intentum argumenti: quod enim in prima conclusione, & in secunda asserimus de obiecto attributionis, idem de obiecto prædicationis in logica asserimus: nego tamen medium assumptum; scilicet immaterialitatem, seu omnimodam

Vlt. Not.

1. Conclus.

2. Conclus.

Ad primam.

dam abstractionem; esse rationem constitutivam secundæ intentionis in esse obiecti scibilis: nam in tali esse per suam propriam diffinitionem, quæ tradit Doctor in primo dista; constituitur: per quam diffinitionem suæ passiones de ea per se primo, & de alijs per se non primo, demonstrantur; & ut sic est vnum specie obiectum; & ultra, cum sit genus ad plures secundas intentiones, dicitur eas potentialiter continere; ac per consequens obiectum genericum remotum, à quo Logica suam etiam vnitatem sumit: & hoc etiã si non esset immaterialis: aliter enim Angelus, ut est obiectum scibile in sua scientia, non distingueret eam à logica, cum in utroque obiecto esset omnimoda abstractio, & immaterialitas: quod est ridiculum.

Ad secundam.

Ad secundam respondeo cū Doct. q. 3. Prologi ut supra: quod obiectum scibile aliter respicit potentiam, & aliter respicit scientiam: potentiam enim respicit, tanquã mouens respicit mobile, & actuum passivum: quia causat in ipsa actum, & habitum scientificum: at vero ipsum habitum vel scientiam respicit, tanquã causa respicit suum effectum. Quare licet omnes colores conueniant in vna ratione adæquate mouendi potentiam; & potentia sit vnum passum respectu omnium; quia sicut vnum agens agit in aliquod passum, potest quo dlibet agens eiusdem rationis in quodlibet passum eiusdem rationis agere: ita potentia, quæ dicitur passum, respectu vnus agētis, est etiam passum eiusdem rationis, respectu cuiuslibet alterius agentis eiusdem rationis: & ita omnes colores possunt in vna ratione visibilis, mouentis, seu agentis conuenire: at vero obiectum, quando respicit scientiam, est causa respectu illius: & cum in logica sint plura obiecta specie distincta, de quibus demonstratur propriae illorum passiones; hinc implicat, posse in vna ratione sub qua conuenire, quæ sit ratio, & medium tales passiones de ipsis demonstrandi: itaque paritas rationis negatur.

ARTIC. III.

An Logica sit vna scientia intrinseca vnitatem?

1. Sentent.

ALIO titulo solet hæc difficultas moueri; an scilicet Logica sit vna simplex, vel composita qualitas; quæ non solum de logica; sed de qualibet scientia interrogari potest: circa quam duplex circumferitur principalis sententia. Prima putatur esse D. Thomæ 1. 2. quæst. 54. artic. 4. quam sequitur Caietanus ibidem, Capreolus quæst. 3. Prologi, Ferraræ primo contra gent. cap. 56. Henric. quodlib. 9. quæst. 4. est quæ communis inter Thomistas asserens habitum scientificum esse vnam simplicem, & indiuisibilem qualitatem in genere entis: itaque tota entitas habitus acquiritur per actum vnus conclusionis, manet tamen imperfectus: & idè per ordinem ad actus aliarum conclusionum, quorum est principium, perficitur, licet illi tales actus nullam realem entitatem in-

trinsecè addant: habet itaque habitus scientificus duplicem perfectionem, aliam intentionem, aliam extrinsecam: primam habet per actus circa eandem conclusionem, à qua fuit primò genitus: secundam habet per actus aliarum conclusionum: quam sententiam sic explicatam probant.

1. Argum.

Primò, sicut se habet potentia visiva ad plura visibilia, ita habitus scientiæ ad plura obiecta; sed potentia visiva, licet plura videat, est vna, & simplex: ergo & scientia.

Confirmat.

Confirmatur: omnis perfectio debet esse proportionata suo perfectibili: sed potentia est perfectibilis ab habitibus; & in se est vna, & simplex entitas: ergo, & habitus erit vnus, & simplex.

Secundo.

Secundò virtus moralis est vnus simplex habitus in voluntate: ergo, & scientia in intellectu: antecedens est Soncinatis 6. Metaphysic. quæst. 9. & probatur: nam aliter: tot admittimus temperantias, quot sunt res, à quibus abstinendum est: consequentia patet à paritate rationis: nam sicut temperantia respicit vnum medium inter delectationes: sic scientia vnam rationem, sub qua obiectuam. Igitur, &c.

Tertio.

Tertio, quilibet habitus infusus est vnus, & simplex, etiam si ad multa specie diuersa inclinaret, ut patet de si de: ergo idem dicendum erit de logica, & de qualibet scientia, quæ si nobis à Deo infunderetur, esset vna simplex qualitas.

Quarto.

Quarto si vnus scientiæ essent plures habitus realiter diuersi, possent manere alij absque alijs (hæc enim est conditio eorum: quæ realiter differunt) sed habitus secundæ conclusionis non potest manere sine habitu primæ: sicut nec demonstratio posterioris sine demonstratione prioris, nec habitus conclusionis sine habitu principiorum: igitur si in scientia non dantur habitus realiter distincti, necessarid fatendum est, scientiam esse vnam simplicem qualitatem.

Quinto.

Quinto, plura accidentia numero distincta non possunt esse simul in eodem subiecto: sed si darentur plures habitus partiales in vna scientia, darentur plura accidentia in eodem intellectu. Igitur.

Sexto.

Sexto: Logica aut est simplex, aut composita qualitas: si primum: habetur intentum: si secundum: qua compositione est composita? Non Physica: quia vnus habitus respectu alterius non se habet, ut materia, aut forma: nec Metaphysica: quia vnus habitus non se habet, ut actus, & alter ut potentia; nec est composita per accidens: quia vnus habitus alteri non inhaeret: ergo dicendum est esse vnam simplicem qualitatem, sicut de albedine dicitur, etiam si habeat plures gradus intrinsecè.

Septimo.

Septimò, arguit Pater Barnabas Gallego: vnus, & idem habitus simplex potest per suam entitatem simplicem ad varia obiecta partialia vniuersaliter extendi, & plures actus efficere; si sint similes in ratione formali obiecti; vel ita sint inter se connexi; ut vnus in alio contineatur virtualiter. Sed habitus Logicæ habet hoc essentialiter: ergo est simplex qualitas. Maior est certissima: & prima pars minoris patet: quia actus Logicæ (& idem est de qualibet scientia) respiciunt